

DE LONGINO PLATONICO

De scientia et eloquentia Cassii Longini tanta erat existimatio aequalium, ut eum Eunapius «vivam bibliothecam et museum ambulans» nominaret. Plotinus autem philosophus Longino iniuria obtrecebat, quem hoc loco ab illa obtreceatione vindicaturi sumus. Longinus vel idcirco memoria dignus est, quod ex libro X 3, 1 «Praeparationis Evangelicae» Eusebii magnum fragmentum operis Longini recuperare possumus, quod inscribitur «philologi homilii».

Pauca quidem exstant de Longini vita. Anno circiter 213 p. Chr. n. ortus est; nam minor natus est Plotino, qui anno 205 genitus est, quem Longinus postea Romae breve tempus audivit. Videtur Emesa, quod hodie *Homs* vocatur oppidum Syriae, patria Longini fuisse, ubi Fronto quidam rhetor consanguineus, frater matris Longini, artem dicendi tradebat. Sed iam puer cum parentibus multas terras urbesque peragravit; philosophiae incumbens Alexandriae Ammonium Saccam, conditorem Neoplatonismi, adibat. Adlescens Athenas venit, qua in urbe artem deinceps criticam et philosophiam Platoniam suo modo usque ad annum 263 docuit. Posthac Palmyram ad reginam Zenobiam Syriacam profectus Longinus ab epistulis Graecis erat rebusque politicis fungebatur. Aurelianus autem imperator Romanus expeditionem contra Zenobiam rebellem molitus, regina victa, Longinum anno 273 occidi iussit.

Longinus erat princeps artis criticae antiquis temporibus, summo iudicio ornatus, opera veterum auctorum rationibus litterariis ponderabat; et qui *Φιλάρχαιος* inscribitur, liber Longinum amatorem generis dicendi antiqui attici, non asiani ostendit. Plurimos libros legerat, immani erat memoria; orator palmaris, professor philologiae gloriosus, philosophus Platonius veteris, non novae Academiae assecla nescio an fuerit; neque religioni strenue deditus, at

rebus civilibus ut orator ardentem favens non Romae, sed Graeciae et hellenismo serviebat; pro quo ut propugnator etiam capitis damnatus est.

Longinus multa opera sed plura philologica quam philosophica confecit. Ad Platonis Phaedonem dialogum, qui est de anima, et ad eiusdem dialogum Timaeum, qui est de natura rerum, commentaria scripsit, nihil edidit Aristotelicum; praeterea de Homero ut philosopho, deinde de rerum principiis et de fine (vitae et rerum), necnon de vita naturali et de appetitu disputavit.

Ad philologiam spectant maxime «philologoi homiliai», quae sunt colloquia de rebus litterariis; commentaria homerica, dissertationes de vocabulis poetarum condidit, quaestiones grammaticas exposuit; artem rhetoricam, historiam, orationes, epistulas scripsit; quae tamen omnia, rhetoricam si excipias, interisse dolemus.

Inter ea operum Longini fragmenta quae usque ad nostra venerunt tempora, praecellit locus ille, quem Eusebius in libro X 3, 1 Praeparationis Evangelicae sub Porphyrii nomine tradit. Porphyrius enim in primo libro, qui inscribitur «philologos akroasis», de Longini convivio ad memoriam Platonis celebrandam habito refert; sed Porphyrius ipse in isto symposio non adfuit, sicut manifesto ex numero «septem» virorum patet, qui tunc professores Athenis notissimi intererant convivio Longini et extra Academiam Platoniam diem memorialem disputando peragebant. Porphyrius autem Athenis morans non professor, sed auditor Longini fuit, qui discipulus anno 263 triginta annos natus Romam ad Plotinum sese contulit Longino ipso ad Zenobiam reginam Syriae profecturo. Et de anno quidem illius symposii nihil certi statui potest, utpote cum Porphyrius vel ex ore vel ex opere Longini, quod dicitur «philologoi homiliai», hanc notitiam de septem interlocutoribus accipere potuerit. Propter vetustum Nicegoram et propter Maiorem Arabem, qui ut videtur Philippo Arabe imperatore Romano (244-249) Athenas venerat, memoria Platonis a Longino circa annum 245 recte culta est, cum Porphyrius anno 233 notus Longinum Athenis nondum audiret. Hinc elucet in primo textu Eusebii falso ἑπτὰς exaratum esse, pro quo ὁ καθ' ἑπτὰς ponatur oportet, ut intelligatur cur Longinus, quamquam tempore Porphyrii vivus, tamen Porphyrium ad symposium illud non invitaverit.

Extra coronam istorum septem celebrantium in relatione Per-

phyrii etiam hi duo viri Caystrius et Maximus occurrunt; qua ex re hoc potest demonstrari: Longinus in symposio thesim disputandam proposuerat: furtum litterarium auctorum Graecorum. Longinus ipse in libro qui inscribitur «philologoi homiliai» multa colloquia litteraria collegerat, et ex hac catena disputationum haec duo nomina Caystrius et Maximus in relatione Porphyrii remanserant. De Ephoro et Theopompo, rerum scriptoribus, Longinus disputationem inter discipulos suos instituerat, et eos, qui praeter ceteros argute disputaverant, in illis homiliis memoriae prodidit: Caystrium et Maximum. Illa de historiographis disputatione habita Longinus subsequenti occasione memoriae Platonis celebrandae homiliam de furto, quod in omni litterarum genere fieri solet, adiunxit et hoc novum propositum colloquii apparatu scenico operis, quod vocatur «philologoi homiliai», cum priore homilia de Ephoro et Theopompo potissimum Caystrii et Maximi disserentium conexuit. Sic imago continuatae catena homiliarum orta esse videtur. Caystrius autem ac Maximus symposio ipso Platoni dedicato non iam intererant. Porphyrius saltem has duas homilias de Ephoro Theopompoque et de furto litterario agentes e Longini opere verbis partim variatis sentiisque quodam modo abbreviatis sumpsit. Ita factum est, ut Porphyrii relatio ab Eusebio prolata non tam ipsius Porphyrii, sed ab Longino appetenda sit; propterea Longini liber qui dicitur «philologoi homiliai» fons est huius partis libri Porphyrii qui «philologos akroasis» inscribitur. Eusebius vero non apte textum Porphyrii abbreviare et in formam convenientem redigere potuerat; itaque haec duo nomina: Caystrius et Maximus, quae ad numerum «septem» sapientium huius symposii nequaquam quadrant et quae solum ad sermonem convivii incipiendum addita sunt, immerito ab Eusebio simul cum nova homilia «de furto» excerpta erant; vel ex his duobus nominibus certo cognoscimus, qui verus fons Porphyrii fuerit: apud Eusebium Longinum maxime referentem audimus, non Porphyrium, qui tamen pauca verba introductoria relationi Longini praemisit. Fragmentum igitur ab Eusebio conservatum imprimis Longino, postea tandem Porphyrio quoque attribuendum est; ea pars istius fragmenti, quae Porphyrii est, ab initio (τὰ Πλατόνεια) usque ad haec verba: ἐν τοῖς ἄλλοις γενομένης pertinet; sequuntur ipsius Longini eiusque fragmenti verba.

Sed age veniamus ad comparisonem inter se trium horum: Lon-

gini, Plotini, Porphyrii; et primo quidem Longinum Plotinumque conferamus. Longinus (c. 213-273) vel decem saltem annis minor Plotino (203-369) fuit; illiusque intellectus primis annis pueritiae iam satis maturum multis, quae cum parentibus faciebat, itineribus large excultus et politus erat. Celerrime quaecumque sensibus perceperat, in phantasmata mutavit, unde ingentem maximeque varium thesaurum idearum sibi comparavit. Discipulus philosophi Ammonii Saccae Alexandriae erat; postea Romae aliquamdiu in itinere remorans circa annum 250 Plotinum eiusque familiarem Amelium natu minorem audivisse et in eorum colloquium venisse credi potest. Longinus quidem Plotinum diligentius ex scriptis quam ex scholis cognovit, unde non aequè de Plotino iudicare poterat; nam philosophus Romae docens satis inculta lingua doctrinam exprimebat, id quod Longinus criticus vehementer vituperabat. Multo plures philosophiae magistros Plotino frequentavit; hoc certo ex Porphyrii vita Plotini 104-105 elucet. Longinus veteri Platonis Academiae favisse neque religioni adeo deditus videtur. Omnibus artibus liberalibus profunde eruditus erat tam idoneus, qui de omnibus rebus sententiam diceret; fuit re vera talis, quem Aristoteles hominem prorsus eruditum describit (639 b 5). Sed potius in litteris et in arte oratoria quam in campo philosophiae versabatur. Longinus, ut quondam Aristoteles, plurima scriptorum volumina legerat; saepe novas de forma dicendi quaestiones ponens existimator verborum factus est; ut criticus ipse non fuit fur litterarius, sed potius aliorum litteraria furta denotabat; historicus fuit, ut erat singularum rerum cognitionis cupidus; perfectus eruditusque orator erat. Quae scripsit Longinus, non sunt, ut ita dicam, divinitus inspirata, sed acie critica ieiunoque iudicio et multa cum scientia composita. Ut orator natus sponte permulta opera edidit, quorum tamen plurima temporum iniuria perierunt; quae quondam avidè lectitabantur. Longini dictio virtutibus oratoriis abundabat. Arti criticae litterisque politicis deditus orationes componebat et habebat; sed natura non tam promptus ad religionem neque rebus sacris deditus erat. Semper multitudine auditorum circumdatus vitam in publico vivebat; in veritate rerum, non in effigiebus captandis occupabatur, ut antea Athenis Herodes Atticus nobilitate litterarum inter aequales praecelebatur, sic Longinus princeps philologus inter aequales erat; inimico erat animo in Romanorum imperium; in re politica ad certum propositum tende-

bat, quemadmodum oratio ea monstrat, quam pro Odenatho, marito Zenobiae reginae Palmyrensis, habuit; non parti Romanae, sed hellenicae et hellenisticae et orientali serviebat, non, ut hodie dicamus, «imperialista», sed «partidista» fuit. Quinquaginta fere annos natus postremis demum vitae annis ad regem et reginam Palmyram venit. Longinus, etsi a multis hominibus ut Fronto Cirtensis redivivus et solum Graece scribens criticus sophista habetur, tamen aequae ac Plotinus philosophus fuit; non autem Plotinianorum erat unus Longinus. In Longino et Plotino illo tempore de principatu litterario Athenae et Roma inter se contendebant, et uterque eorum cum nullam publicam Academiae cathedram haberet, nullas pensiones publice percipiebat, sed gratis litteras et philosophiam docebat. Longinus ingenium maxime insigne in Graeca parte imperii Romani illa tempestate fuit; etiam per Porphyrium, discipulum suum hoc consecutus est, ut Plotinus adversarius aemulusque gloria aeterna dignus fleret propterea quod Porphyrius praecipuas Plotini sententias colligere disponderet, iucundas ad legendum redderet, cum Longini ipsius sententiae pretiosae oblivione obruerentur. Longinus denique iussu imperatoris Aureliani anno p. Chr. n. 273 magna hominum turba spectante et magnitudinem animi, quam prae se ferebat ille criticus philosophus Atheniensis, admirante occisus est.

De Plotino autem haec habeo quae dicam. Tardissime indolem explicans lentissime loquebatur et aegre scientias percipiebat, ut non tam deductive quam intuitive sententias philosophiae perspiceret; et propter parum felix acumen cogitandi magis ad «enthusiasmum» et ad incitationes spontaneas et divinationes quasdam rapiiebatur, quas postea Porphyrius discipulus in formam magis philosophicam redegit; Plotinus satis modestum numerum idearum produxit; quam ob rem Longino invidere videbatur, qui eum ipsum scientiis longe superabat. Ammonium Saccam magistrum principalem philosophiae admirabatur et diligebat, cuius doctrinas Romae repetebat. Plotinus Alexandriae in philosophiae studium incumbens Platonis doctrinam non meram hausit, quae nova causa est, cur numquam Athenas adire potuerit. Eiusdem viri minus legitima de omnibus rebus iudicia sunt, recte de Longini indole iudicavit, quem philologum, non philosophum falso putabat. Plotinus ut elegantiorum litterarum expers magis ad investigationes religiosas inclinabat;

non ita multa legerat; fuit criticus idearum; quaestiones priorum philosophorum repetens nova nulla produxit, immo totam doctrinam Ammonii Saccae et Numenii suscepit ac tradidit. Plotinus ab expeditione quadam Romanorum contra Persas facta Romam appetens semper Romanis favebat gratia fruens imperatoris Gallieni; etiam hac de causa philosophi Graeci Aegyptium doctorem oppugnant. Neque ipse in arenam politicam ingressus est et discipulos factionibus deditos a studio rerum politicarum retinebat. Quod ad scientiam spectat, ille non cum bibliotheca aut museo comparari potest, sed multo magis orphanotrophio vel asylo pauperum similis videtur. Theoreticus homo maxime speculationi propriae operam dabat neque libris multis indigebat; dumtaxat universalia respiciebat; unde Platonopolim utopicam condere aspirabat. Ad permovendos animos oppido idoneus erat, quoniam ipse incitato animo loquebatur et scribebat, ut e vita Plotini 132 cognoscitur. Homo religiosissimus erat nec raro extra se raptus et superne inspiratus videbatur. Longinum autem parvi faciebat propterea quod, ut opinari licet, philosophia Longini a ratione religiosa et mathematica Plotini dissonabat et magis verba quam res ipsas tangebatur. Ne sensus quidem Longini nimis litterarius Plotinum alliciebat, quippe cuius dictio vitiis non careret. Propter inopiam litterarum Aegyptius tamquam invitus scripta lentissime a Porphyrio coactus protulit; a magistro Ammonio Sacca, cuius doctrinam se publici iuris facturum non esse promiserat, et a Numenio dependens haud facile novam formam aliorum dogmatum invenire poterat. Nihilo setius libri Plotini lectitabantur, cuius auctoritas ab imperatore Gallieno, ab auditore Porphyrio, ab Ecclesia eiusque doctoribus Augustino, Ambrosio summopere in orbe terrarum Romano adaugebatur. Initio vir sapiens alienigena a multis acclamatus, postea taetro morba aegrotans a plurimis desertus in solitudine Campaniae sibi relictus vitam finivit. Per Porphyrium discipulum effecit, ut Longinus iudicio Plotini in vita Plotini proposito usque in perpetuum a minoris ingenii viris inferior habeatur Plotino. Magna vero cum imprudentia et cum impudentia Plotinus Longinum philologum, minime contra philosophum esse affirmavit. Plotinus denique veluti vates philosophiae mysticae neque homines neque res iuste aestimans egit.

Nunc quibus rationibus Longinus et Porphyrius coniungantur quibusque separentur, videamus. Primo iterum a Longino, Porphy-

rii doctore, ordiamur. Ille quidem Emesae in urbe Syriae natus esse videtur, cuius mater fuit soror Frontonis, rhetoris Emeseni, qui ipse ex stirpe Frontonis educatoris imperatoris Marci Aurelii criundus est; quamquam Longinus non tam multis in rebus eruditus erat quam Porphyrius, quippe qui omnium rerum scientia imbutus esset. Longinus qua pietate et religione fuerit, nihil accepimus; nihil apud eum est de vita et doctrina christianorum; certum enim est unum vel alterum ex patribus scriptoribusque Ecclesiae, siquid christianum scripsisset Longinus, hoc memoriae traditurum fuisse. Commentarios dialogorum dumtaxat Platonis composuit; fuit bonus sophista Platonicus et unius veteris scholae Platonicae assecla; sed non omnes septem artes liberales docebat; cuius inter opuscula nec scientia mathematica nec physiologia locum tenent; magis in verbis quam in rebus studium ponebat; propter vastam scientiam litterarum, insignem eloquentiam, aciem criticam, peritiam linguae Syriacae a regina Zenobia etiam ad litteras publicas scribendas Athenis Palmyram accessit; Athenis omnes suos libros confecit; maximum opus erat illud, quod «philologoi homiliai» inscribitur; doctrinam de sublimitate dicendi scholis protulisse eum verisimillimum est; ac ne ille quidem libellum *περὶ ὕψους* scripsit arte docendi excellebat; cuius acies critica maxima ab omnibus putabatur; ea profecto magis ad sophisticos elenchos Aristotelis quam ad aliam partem organi Stagiritae spectat; quibus elenchis imprimis certitudo et celeritas distinguendi postulatur. Longino placebat vitae publicae agitatio et varietas, ex qua repeteret, quae utiliter ad suas scholas transferret; non solum artem rhetoricam tradebat, sed etiam verus orator in publicum prodibat; idem nomine philosophi vere dignus est, quoniam Platonem explicavit ac semper et ubique criticae artis munere functus est; critica autem pars est philosophiae; mortem postremo violentam e causis politicis homo fortis et frugi obiit.

Ad Porphyrium statim transeamus. Ipse Tyri in urbe Phoeniciae natus, initio Malchus nominatus est, id quod «regem» significat; quem religiosum hominem fuisse constat. Magno libro contra Christianos edito illisque adnotationibus de Daniele propheta scriptis sese litterarum christianarum minime ignarum fuisse demonstrat; pluribus operibus Aristotelem quam Platonem commentatus est; re-

coagmentare studebat; de universis artibus liberalibus disputabat, praesertim rebus mensurandis, mathematicae, musicae, astronomiae, chronologiae; cum diligentia se praebebat; praeceptis rhetoricis oboediens ad curam verborum maximum studium philosophiae et religionis adiungebat; tantum modo scholae serviebat neque umquam ad rem publicam se convertebat. Porphyrius nonnulla opera eiusdem generis litterarii composuit ac magister Longinus, a quo «philologoi homiliai» edebantur, quod opus discipulus cum hac inscriptione «philologos akroasis» imitabatur, ad modum inscriptionis tractatus Aristotelis qui dicitur «physike akroasis». Idem Porphyrius auctor libelli *περὶ ἕφους* est, doctrinae Longini vestigia fideliter premeus; summa cum laude docebat, ut ex *Isagoge* et e *vita Plotini* elucet, optimum educator; propter debilis corporis complexionem et ob animi passionem quandam melancholicam magis vitam tranquillam praefererebat; artem dicendi instituebat, non ipse autem orationes habebat; scriptor potius quam orator erat; plura scripsit Longino a rebus publicis disiunctus; sententias praeceptoris Longini affectans saepe partim propagavit partim immutavit rectamque in viam duxit; multo profundior magisque genuinus philosophus erat quam Longinus; omni tempore vitam speculativam appetebat. Naturaliter senectute et laboribus ingenii continuis confectus e vita decessit.

Porphyrius erat discipulus Longini et Plotini ideoque medius horum diversorum professorum sententias contrarias ponderans et librans; simultatem et contentionem, quae re vera inter Longinum et Plotinum intercesserat, in libro de *vita Plotini* dissimulare atque infitiri cupiebat; ut Platonis et Aristotelis doctrinas differentes conciliare et ut religionem paganam cum religione christiana benevole coniungere volebat, ita cum concordia quadam animi Longini et Plotini ut coniuncti essent, agebat. Porphyrius semper bona fide magistros suos modo defendebat, modo incusabat; pro Longino dicebat, cum affirmaret illum principem esse artis criticae; pro Plotino laborabat eius *enēadas* lima Graeca poliens et logice disponens; contra Longinum fuit, quod ab eius schola defecit et Romam ad Plotinum transiit; contra Plotinum fuit, quod, cum hic Plotinus parum considerate malitioseque iniustum de Longino fecisset iudicium, Porphyrius mentem Plotini obnoxiam errori et invidiosam in aeternum tempus palam ostendit. Quod Porphyrius Plotini iudicium de Longino philologo, non philosopho enuntiavit,

ligione quidem Platonicus, sed ratione Aristotelicus horum duorum philosophorum doctrinis communi quodam systemata includere et immortali dedecori erit duobus illis viris ipsis Plotino et Porphyrio. Longinus autem macula odii Plotiniani affectus numquam prorsus purgabitur.

Haec denique comparatione conclusa asecuti esse videmur:

1. Longinus et Plotinus inter se de principatu litterario aemulabantur, ut sua auctoritate et sociorum auxilio ad formam saeculi sui sua indole et ratione exprimerent.

2. Qua de causa Plotini iudicium de Longino temerarium, subitum, invidiosum, iniustum est.

3. Longinus in parte Graeca imperii Romani, Plotinus in Italia ipsa auctoritate praevalebat.

4. Quorum duorum virorum orientalium rivalitatem tertius vir item orientalis amborumque discipulus Porphyrius philologus et philosophus insignis, natus inter utriusque patriam, pro Plotino philosopho mystico enneadibus editis definivit.

EMIL ORTH.